

1201, agost, 21

*Berenguer de Cervià ven al monestir de Sant Daniel la meitat indivisa de la possessió que té amb el mateix monestir a Segueró, pel preu de 400 sous.*

ASD núm. 64\*, perg. orig., 180 x 255 mm.

Hec sit semper omnibus hominibus noticia tam futuris scilicet quam et presentibus stabilis et firma quod ego Berengarius de Ceruiano qui uocor Berengarius de [Lercio J, fili us Arnalli de Lercio qui fuit, per me et per omnes meos presentes atque futuros, non ui, non dolo malo nec fraude aliquo metuue inductus, set bono [animo et spon]tanea uoluntate gratis et ex certa sciencia uendo et cum hac publica carta omni tempore ualitura dono et offero domino Deo et ecclesie Sancti Da[nielis in per]petuum per allodium francum in manu et potestate Agnetis, Dei gratia eiusdem ecclesie abbatissa et conuentus eiusdem totam meam medietatem siue [ ... ] integre totius stallii et totius honoris integre quod habeo médium per medium cum ipsa ecclesia in parrochia Sancti Andree de Sagaros, cum exitibus et ingressibus et mansis et militibus et hominibus et feminis et uineis et terris cultis et heremis et arboribus diuersorum generum et censibus et usaticis et agrariis et iuuis et traginis et questis et toltis et fortiis et placitis et stabilimentis et seruiciis et adempramentis et boschis et garricis et pratis et pascuis et rieriis et aquis et aqueductibus et molendinis et deuesiis et omnium rerum dominiis, siue exaccionibus ac prouentibus et cum omnibus aliis que ego uel aliquis per me aliquo iure uel accione in tota predicta parrochia acipimus et accipere debemus et ut melius pater meus dimisit in suo testamento, sic uendo et dono et offero Deo et supradicte ecclesie pro .cccc. solidis denariorum barchinonensium, quos confiteor numerando recepisse per manus ipsius abbatisse de bonis pretaxate ecclesie, et si aruplius ualet totum dono et offero ibi ob remedium anime mee et parentum meorum. Et ideo de meo iure ac potestate cum hac publica carta predicta omnia in p[otestate] ipsius ecclesie perpetuo trado ad omnem suam suorumque uoluntatem omni tempore ibi et inde faciendam sine retentu meo et meorum, omnibus meis uocibus et [iuribus meis] et meorum perpetuo extinctis, penes ipsius ecclesie remanentibus. Et si iure minoris etatis uel iure exceptione non numerate peccunie [aut] alio aliquo iure scripto uel non scripto, legali uel diuino, publico uel priuato siue humana siue exceptione aliqua in futurum huic contra[ctui obu]iam ire passem, illis sponte omnino in perpetuum renuntio. Et ut hoc totum maius robur obtineat et omnis dubitacio remoueatur, proprio motu et absque aliquo imperio Facio iurare in mea propria persona et in mea anima Arnallo de Puteo de Burdils super sancta Dei Euangelia quod hoc totum superius scriptum in perpetuum obseruem. Et ego Arnallus de Puteo, mandato Berengarii de Ceruiano iuro in anima ipsius et in propria hoc totum ab eo fideliter obseruare. Si quis hoc rumpere uoluerit, non ualeat, set sola presumptione iram Dei Patris omnipotentis incurrat et cum luda proditore dampnatus in infernum partionem suam accipiat.

Actum est hoc .XII. kalendis septembris anno Domini .MCCI.<sup>1</sup>

Sig+num Berengarii de Ceruiano, sig+num Guilielmi de Ceruiano, sig+num Bernardi fratrum, qui hoc firmamus firmarique rogamus et laudamus in perpetuum. Sig+num Arnalli de Puteo. Sig+num Guilielmi de Bas. Sig+num Bernardi de Subiranegis. Sig+num Felicis de Milicia.

Bernardus Stephani leuita et publicus scriptor Gerunde, qui hoc scripsi die et anno quo su(s. *man.* )pra.

l. La data és afegida al peu, de mà diversa a la de l'escrivà.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 160-161